Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 851
Quelle:
Copyright:

me ſtatu condidi &c. Initium ipſius Operis a celebri, cum primis hodie, veritate: *Magnum in genere humano ſolli ſidoni frater amantiſſime multorum uitium eſt arrogans impericia* &c. Iteratas ejus Editiones diſces e T. II. *Hiſt. Lit. Franc.* p. 450. Ego Codici *Cygneae* procuratam 1655. a literatiſſimo *Caſp. Barthio* 8. adhibui, lectionibus variis et omni adjumento ad Scriptorem non e facillimis pervidendum locupletem, et vix aliquid differre comperi. En ſpecimen e *Praefat.* Edita *egomet haud temere ſuſcepiſſem.* Cod. omittit *haud.* Ed. *conſerta nobiſcum manu.* Cod. *nobis.* Ed. *Philoſophiae* vel *Philoſophomenon nec non regulis.* Cod. *philoſophumenon regulis.* Ed. *habita — congreſſione.* Cod. *congreſſio.* C. I. Ed. *ratiocinatione tendamus.* Cod. *ratione.* Ed. *illudunt imperitos.* Cod. *imperitis.* Ed. *quamquam plectibili.* Cod. *tam plectibili.* Ed. *diſputationis intrare.* Cod. *intrari* &c. Finis Operis, quod nobis in *Capita* diviſum non eſt: *Quoniam altrinſecus concionati* (edit. *continuati*) *uirium* (ed. *viarum*) *periculum fecimus experiere ſcilicet. ueritatis uis quanta ſit in excidium falſitatis.* Id addo, *Codicem* non una manu deſcriptum fuiſſe, eamque, quae poſterior eſt, paullo antiquiorem videri.

III. *fol.* 100. columnis 2. manu Sec. XIV. *Lectura ſuper prologum librorum ſententiarum.* Initium: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens. Eccli.* XXXIX. *Verba iſta libri ſententiarum* &c. Mutila et nullius momenti.

IV. *fol.* 103. p. 2. eadem manu: *Secuntur ſententie librorum veteris teſtamenti.* Capita ſingula juxta diviſionem Vulgatae primis verbis indicantur, et cujusvis Summarium adjicitur. Ita: *Geneſis. I. In principio creauit deus &c. De operibus ſex dierum. et ornatu eorum. et formatione hominis.* &c. Abrumpitur hoc inſtitutum in c. 22. *Lib. I. Reg.*

V. *fol.* 108. manu Sec. XIV. ut omnia reliqua Codicis: *Incipit liber lotharij uel innocencij de uilitate* (al. miſeria) *conditionis humane.* Norunt Bibliographi inter Artis impreſſoriae rudimenta *duas* exhiberi Opuſculi hujus Editiones, quarum unam a me in *Memorab. Bibl. Garell.* vernac. P. I. p. 191. deſcriptam propter annum MCCCCXLVIII. in Titulo praefixum Cl. *Schoepflinus* in *Vindic. Typogr. Argent.* p. 40. nimium facile et huic anno et *Argentinae* ſuae adtribuit, alteram Cl. *Schelhornius* in *Diatr. praelim.* ad *Card. Quirini Librum ſing. de opt. Scriptor. Editt. Roman.* p. 24. prodidit, cujus et ſpecimen aeri inciſum adjecit, quod neſcio cujus errore pro p. 24. ad p. 8. revocatum eſt, ubi de *Schoepfliniana* Edit. agitur, ut adeo credi poſſit, ſpecimine illo *Schoepflinianam* repraeſentari, a qua tamen *Schelhorniana* non parum differt; neque enim, ut aliquid tangam, annum illum 1448. in titulo praenotat, et dum illa finit: *Explicit liber de miſeria con-*